UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

# Universitätsbibliothek Paderborn

## Admirandvm vindictae divinae theatrvm

**Tympe, Matthäus**

**Monasterii Westphaliae, 1611**

M.

urn:nbn:de:hbz:466:1-51314

Visual Library

## POENAE CONSVLENTIVM *Magos & aruſpicos.*

ACcidit vt dum Conſtantinus Magnus à ſuſcepta ſemel Chriſtiana pietate nunquam deflexit ei omnia ex ſententia euenirent, ita vt nullum vnquam fuerit felicius cuiuſquam imperium, cui adeo diuina opitulata eſt gratia, vt duos immaniſſimos eoſdemq́; fortiſſimos tyrannos (Maxentium & Licinium) abſtulerit, alterum occidentale, orientale alterum poſſidentem imperium, ſimulque barbaros quotquot inſurrexerunt in ipſum; Romanum imperium perdomuerit, atque adeo cuncta ei proſpera atque felicia & ex animi ſententia contigerint. Cum vero ſui-ipſius, neſcio qua incuria, prorſus oblitus, augurum reſponſa captare cœpiſſet, &, perinde atq; non eſſet Deus in Iſraël miſiſſet ad conſulendum Beelzebub Deum Accaron, atq; velut Saul, cum abſtuliſſet Magos & ariolos de terra, & interfeciſſet eos qui Pythones haberent in ventre, poſt modicum temporis ſpatium Pythoniſſam ipſe cõſulens Dei vindictam in ſe cõcitauit, & cum aduerſus aruſpices atq; magos leges tuliſſet, ipſe tamẽ de ijſdẽ aruſpicibus cõſulendis ad præfectum vrbis ſcripſit, Dei patrociniũ à ſe quo ſuſtentabatur, auertit, & eius indignationẽ valde acerbã promeruit, vna cum imperio funditus periturus, niſi cito Chriſtiano religionis remedio (baptiſmate) faci-

> 2. vi. locum de Temp. violat.

> Auitam ſuperſtitionẽ aliqua ex parte reſumit.

> 4. Reg. 1.
> 1. Reg. 28.



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

facinus expiaſſet. Delrius li.1.diſq. mag. lib. 1. c.4. refert Principem qui præſtigiatorem defenderat vix biennium ſuperuixiſſe & florente ætate interijſſe, nec quicquã illi poſtquam malæ cauſę defenſionem ſuſceperat poſt feliciter in gubernatione ceſſiſſe. Vetuit enim Deus Exod. 22. v. 18. ne quis præſtigiatricem patiatur viuere.

2. lib. 10. Chron. Inter cæteras cauſſas cladis magnæ quam Flandri à Francis, cæſi anno 1302. acceperunt, memorat Meierus quod Flandrorum militiæ imperator Guido Iuliacus ſortilegos ac necromanticos ſibi adhibuit, & cacodæmonas adiurauit & conſuluit. idem Meierus anno 1304. de Guidone ait: fama eſt deceptum fuiſſe à quodam Necromantico, à quo artem didiciſſet, qua ille pollicebatur fore eum quandocunque vellet, in quamlibet magno periculo inuiſibilem. At ea incantatio nihil ei hic profuit ad vitæ ſalutem.

Ad veræ & æternæ mortis ſupplicium apprime vtilis fuit.

3. Aen. Siluius in hiſt. Boem. Vratiſlaus Lucenſis dux Vratiſlauiæ conditor, bellum contra Gremoziſlaum Boemiæ ducem, nepotem ſuum, ſuſceperat, ibi mulierem fuiſſe tradunt, quæ priuigno bellum petituro, Vradiſlaum in pugna caſurum, maioremque populi partem cum eo interituram prædixit, poſſe tamen euadere iuuenem, ſi ſibi pareret. adoleſcenti imperata facturum reſpondenti iuſſit vt primum qui obuius fieret, occideret, atque vtraſque au-

res

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

res abſciſſas in pera reconderet; mox gladio inter priores equi pedes cruce in terra facta & deoſculata, fugam maturaret. Pugna in campo, cui Thuico nomen eſt, commiſſa, cæſo Vratiſlao, adoleſcens, qui nouercæ paruerat, domum incolumis effugit, ſed vxorem, quam valde amabat, interemptam reperit, carentem auribus, pectuſque confoſſam, ſic quas hoſti amputauerat aures, coniugis ſuæ fuiſſe, ſtupens triſtiſq; cognouit. digna merces, inquit Delrius lib. 2. diſquiſ. mag. quæſt. 12. conſultę de victoria ſagæ, fortaſſis & vxor venefica fuit, & ſe prælio immiſcuit, vel genus hic maleficij per imaginem lethalem in prælio exhibitam, dæmone interea domi miſeram ijſdem vulneribus mulctante.

Delrius diſquiſ. mag. lib. 4. cap. 2. qu. 6. ſect. 4. ait: Roſtochij quidam pecuniam in quodam loco ſepoſuit, cum autem eam poſtea inuenirę tam cito non potuiſſet, fabrum conuenit, ab eoque petijt vt oculus furi excuteretur (per diuinationem diabolicam). Quo pacto ſtatim ipſe Dominus, qui fabri diabolica opera vſus eſt, oculum amiſit. iuſto Dei iudicio incidit in foueam quam fecit, & merito pertulit quod tam iniuſte per artem peſſimam malum alteri moliebatur. 4.

*Nota quã periculoſum ſit cõſulere dæmonicolas.*

Addit q. 7. ex chron. Scotorũ de Nataloco Rege 30. illũ ipſum à quo Rex cęſus ad diuinos 5.

mit-

Buchananus lib. 4. fol. 35.

Inſtituta hæc erant ingenioſiſſimè ad hoc, vt miles ad cogitationem tollendi tyranni impelleretur.

Conſulens magum fit homicida.

miſſum, vt de victoria, de vita Regis ac regno
eius percontaretur reſponſum à quadam [illegible]
accepiſſe, Regem non diu victurum, nec peri-
culum ei ab hoſte ſed à familiaribus inſtare.
Cum ille vrgeret, à quo? anum, à te ſubiectiſ-
ille mulierem exſecratus, cum domum red-
ret, ſubijt animum illa cogitatio, nec reſpon-
ſum celari poſſe, nec edere tutum eſſe, ne ſe a-
pud Regem, hominem prauum & ſuo timori
indulgentem, ſuſpectum redderet. itaq; tu-
us eſt tyrannum cum multorum gratia inter-
ficere quam cum grauiſſimo capitis propri
diſcrimine incolumem ſeruare. Statim vbi
domum redijt, impetrato ad reſponſa diui-
norum expromenda ſecreto, cæſo Rege duo-
decimum imperij annum ingreſſo, patriam
ſeruitio, & ſe periculo exemit. Simile tyran-
nicidium in azaële Syro nobis S. ſcriptura ſup-
peditat.

4. Reg. 8.

## *MAGI ET MALEFICI VEL HI[C] etiam familiares puniuntur.*

1. NAhum (c.3.v.4.) inter præcipuas cauſſas
excidij Niniuæ memorat quod in ea
Magi & malefici magni fierent.
2. Eandem ob cauſſam minatur Ieroſolymæ
Micheas c.5.v.10. Propterea Cananæi deleti
3. & pulſi ſedibus ſuis. Deut. 18. v. 10. Nunquam
id impune Regibus ceſſit; Saul non excidit re-
gno niſi poſtquam Magiæ præſidia quæſiuit:
tunc (ait Bleſenſis) dum Pythoniſſam conſu-
lit in

1. Reg. 28. verſi. 8.

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

lit in montibus Galboë cum filijs meretur in-
terfici. Sic Ochozias, qui ceciderat per can- 4.
cellos, dum de vitæ diuturnitate ſcrutatur vi- 4. Reg 1. v. 2.
ta eius tanquam tela texenda ſucciditur. Ob
maleficorũ imitationem Manaſſes ſpecimen 5.
fit, Regis calamitoſiſſimi (4. Reg 21. & 25.)
cuius peccatum etiam poſteri luerunt, nec pa-
cari Deus potuit Ioziæ pietate (4. Reg. 23.).
Iezabelis veneficia nota, ſed & præcipitatam 6.
de feneſtra, laceratam à canibus.

Zoroaſtrem (ſeu Cham) fulmen occidit 7.
Magiæ inuentorem. Plin. lib. 30. 1. lib. 11. c. 42.
ſeu ab ipſo dæmone igne ſuccenſus & concre-
matus fuit, teſte Clemente in lib. Recognit.

Leopoldum Auſtriæ ducem Frederici III. 8.
fratrem nimis familiarem Magis quidam nar-
rant ita à ſpectro percuſſum fuiſſe vt paucis
poſt diebus obierit. VVenceſlaus Bohemiæ 9.
Rex ſummo in pretio voluptatis cauſſa Zyto-
nem & alios habuit, cui quæſo principi cun-
cta regni negotia infelicius ceſſere?

Vltimis è gente Valaſia Rex quàm inopi- 10.
nata & crudeli & inaudita nece de medio ſub-
latus fuit. memini me (ait Delrius) in lib. de
geſtis eius Lutetiæ excuſo legere nullum apud in lib. 6.
eum in maiore gratia fuiſſe quam illũ ipſum, diſq. mag.
qui his artibus inſtructus ad honores graſſa- Anacephalæoſi.
batur & regem ſuum his ipſis initiare cona-
tus, feciſſet, niſi horror præſentiæ dæmonum
illum abegiſſet. De Ferrando Comite Flan-
driæ, de Guilhelmo Iuliacenſi, de Scotiæ re-
gibus

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

gibus aliquot de multis alijs conſule.diſquiſ.
mag.Delrij.

11. Simon Magus in aërem à dæmonibus ſu-
latus pręcipitatuſq́;fractis cruribus cum igno-
minia & dolore interijt.

Vide apud Delrium d.loco.

12. Apud Guilh.Tyrium li.8.belli Sacri ca.
duo Magi volentes machinas Chriſtianorum
13. incantare,primi illis interfecti.apud Dubrau
li.23.hiſt.Bohem. Zyto nobilis ille præſtigia-
tor ad extremum à diabolo, viuens, cum cor-
pore&anima de medio hominũ fuit ſublatus.

14. Ioan. Fauſtus famoſus Magus his temporibus
in Germania tandem à cacodęmone lecto ex-
tractus noctu& ſtrãgulatus, inuerſa in tergum
facie,domoq́; tota concuſſa & pene euerſa, ut
ſcribunt VVierus Canur.&c.

15. Phil.Camerarius li.operæ ſucceſſiuę ca.
ita ſcribit:Petierũt (à Ioan.Fauſto quidam) ut
exhiberet illis vitẽ plenam vuis maturis. Pu-
tabant propter alienũ tempus anni (erat enim
circa brumam)hoc illum præſtare nullo mo-
do poſſe. Aſſenſit Fauſtus iam iã in menſa con-
ſpectum iri quod expeterent; ſed hac condi-
tione vt omnes magno ſilentio immoti pro-
ſtolarentur, donec illos iuberet vuas decerpe-
re, ſi ſecus facerent inſtare illis periculum ca-
pitis. Hoc cum ſe facturos promiſiſſent, mox
ludibrijs ſuis huic ebriæ turbæ, ita oculos &
ſenſus perſtrinxit. vt illis tot vuę mirę magni-
tudinis & ſucci plenæ in vite pulcherrima ap-
parerent, quod ipſorum adeſſent. Rei itaque

De quibuſdam quib' periculum præſentaneum fuit ne ſeipſos denaſarent

nou-

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

nouitate cupidi, & ex crapula ſitibũdi ſumptis ſuis cultellis exſpectabant vt illos iuberet reſcindere vuas. Tandem cum iſtos leuiculos aliquandiu ſuſpenſos in ipſorum vaniſſimo errore tenuiſſet, ſubito in fumum abeunte vite cum ſuis vuis, conſpecti ſunt ſinguli tenentes loco vuæ quam vnuſquiſq; apprehendiſſe videbatur, ſuũ naſum oppoſito supernè cultello: ita vt ſi quis immemor præcepti dati vuas ſecare voluiſſet, ſeipſum naſo mutilaſſet.

## *MALEDICTIONEM SEV IMPREcationem ſiue iuſtam ſiue iniuſtam ingentia mala ſecuta.*

ELiſæo Propheta iter habente in Bethel, inquit Regum hiſtoria, pueri parui egreſſi ſunt de ciuitate & illudebant ei dicentes, aſcende calue, aſcende calue, qui cum reſpexiſſet maledixit eis in nomine Domini, egreſſiq; ſunt duo vrſi de ſaltu, & lacerauerunt ex eis 42. pueros.

Cum proconſul Sergius deſideraret audire verbum Dei à Saulo & Barnaba reſiſtebat illis, inquit B. Lucas, Elymas Magus quærens auertere proconſulem à fide. Saulus autem qui & Paulus repletus Spiritu ſancto intuens in eum dixit, O plene omni dolo & fallacia fili Diaboli, inimice omnis iuſtitiæ, non deſinis ſubuertere vias domini rectas. Et nunc ecce manus Domini ſuper te, & eris cæcus, non videns ſolem vſque

4. Reg. 2. 24 Bethelicos pueros 42. SS ridẽtes Eliſæum quod caluus eſſet immanes vrſi laniarunt.

2.

Act. 13. 10.

ad tempus. Et confeſtim cecidit in eum caligo & tenebræ, & circuiens quærebat qui ei manum daret, &c.

3. Prolixe hęc ex S. Aug. Bredenb li.4.c.13. vide in loco de impijs in parentes exemp.2.

vi. exempl. 2. loci de feſtorũ viol.

Aug de ciu. Dei lib.22. c.8. Decem quidam fratres fuerunt ait, quorum ſeptem ſunt mares, tres fœminæ de Cęſarea Cappadociæ ſuorum ciuium non ignobiles maledicto matris (recenti patris eorum obitu deſtitutæ) quæ iniuriam ſibi ab eis factam acerbiſſime tulit, tali pœna ſunt diuinitus coërciti vt horribiliter quaterētur omnes tremore membrorum in qua fœdiſſima ſpecie oculos ſuorum ciuium non ferentes quaquaverſum cuiq; ire viſum eſt, toto penè vulgabantur orbe Romano. Ex his etiam ad nos venerunt duo, frater & ſoror, Paulus & Palladia, multis alijs locis miſeria diffamante iam cogniti. Deinde ſic narrat quemadmodum ambo ad memoriam S. Stephani martyris à tremore liberati ſint toto populo ſpectante, & maximo clamore Deo & martyri gratias agente. Præmittit autem ſe arbitrari nullum eſſe Hipponéſem qui hoc non vel viderit vel didicerit, nullum qui obliuiſci vlla ratione potuerit.

4. lib.3. dial. ca.15. Nemini ex ira maledicendum 1 Cor.6.10 maledici (iniuſtè)

Refert S. Gregor. de ſeruo Dei Florentio tanta ſanctitate prædito vt ei vrſus in omnibus pareret, quod cum hunc vrſum quatuor monachi è vicino monaſterio, eius ſanctitati inuidentes per inſidias occidiſſent, Florentius fratrum malitiam magis quam vrſi mortem deplorauerit. Quem, ait Greg. Venerabilis

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

dus vir Euthicius ad ſe deductum conſolari regnũ Dei
ſtuduit, ſed idem vir domini coram eo dolo- non poſſi-
ris magni ſtimulis accenſus imprecatus eſt di- debant.
cens: Spero in omnipotenti Deo, quia in hac vi. Greg li.
vita ante oculos hominum ex malitia ſua vin- 1. dial. c 20
dictam recipient, qui nihil ſe lædentem vr- Cæſar. li. 3.
ſum meum occiderunt. Cuius vocem proti- mirac.
nus vltio diuina ſecuta eſt. Nam quatuor mo- c. 12. & 26.
nachi qui eundem vrſum occiderant, ſtatim
elephantino morbo percuſſi ſunt, vt mem-
bris putreſcentibus interirent. Quod factum
vir dei Florentius vehementer expauit, ſeque
ita fratribus maledixiſſe pertimuit. Omni e-
nim vitæ ſuæ tempore flebat, quia exauditus
fuerat, ſe crudelem in eorum morte clamabat
homicidam. Quod idcirco omnipotentem
Deũ feciſſe credimus, ne vir miræ ſimplicita-
tis quantolibet dolore commotus intorque-
re vltra præſumeret iaculum maledictionis.

Ioannes Aretinus Archipresbyter in vita 5.
S. Zenobij Epiſcopi Florentini: Filij, ait, duo Sur. 25.
æquo indulgentius (delicatiſſimè) educati ma- Maij. to 3.
trem (pluribus verberibus enormiter) verbe- Delr. diſq.
rarant. Quod ſcelus illa execrata genibus pro- mag. lib. 3.
cumbens & terram manibus pulſans furias in- p. 1. q. 7 ſ. 1.
fernales in vindictam (in rabiem filiorum) in-
uocauit. Exaudita eſt, mox iuuenes à dæmo-
nibus obſeſſi veluti rabidi canes mordaciter
inuicem ſua membra corrodunt. Catenis vin-
ciuntur, mater miſericordia amota, licet pa-
gana, refugit ad S. Zenobium, qui in baſilica

Saluatoris cum per duas horas coram vexillo S.crucis pro filiorum ſalute oraſſet, ſigno crucis dæmones fugauit. Qui ſanitatem conſecuti vna cum matre totaque familia ſunt baptizati.

6. Id: Mater, cum filio febribus laboranti quadragies vna nocte poculum porrexiſſet, pueroque adhuc potum petenti irata dixiſſet: vna cum hoc diabolum bibe, puer ſtatim à dæmone poſſidetur qui tam crudeliter eum exagitauit, vt vix vllis vinculis conſtringi remedio nullo liberari poſſet, donec tandem ad S. Zenobij monumentum deportatus eſt. Simili imprecatione parentum noſtro ſæculo multi alij in poteſtatem dæmonis deuenere, vt celebris illa dæmoniaca Laudu-

7. nenſis in Gallia anno 1566. liberata: & Mon-

8. tenſis in Hannonia anno 1584.

9. Hadrianus Iunius in hiſtoria Batauiæ

Cap. 10. commemorat Hollandiæ comitiſſam anno Domini 1276. ex imprecatione mulieris mendicæ vno partu edidiſſe 364. liberos eoſque omnes in vna pelui quia viuebant, ſacris baptiſmi aquis ablutos. Nam cum Comitiſſa mendicæ gemellos geſtanti temere obijceret quod alterum ex adulterio concepiſſet, illa mox imprecata ei eſt vt vno partu tot liberos effunderet quot ſunt dies in anno.

10. In magno ſpeculo exemplorum diſt. 10.

Imprecatio iniuſta ex. 27. Legitur hoc exemplum quod accidit

indice-

in diœceſi Moguntina. Sacerdos quidam, Eccleſiæ paſtor, acriter inuectus eſt in calceos roſtratos, in publica diei feſti concione. id moleſte ferens ſutor quidam imprecatus eſt coram alijs vulgari idiomate concionatori epilepſiam vel morbum comitialem in capitis coronam, & mox indignabũdus ſe ex templo proripuit. Verum quia plerunq; recidunt in ſuos maledicta magiſtros, ecce in reditu ad ſuos obuium habuit virum ſtatura procerum, aſpectu terribilem, qui eum per capillos arreptum tanta vi deiecit in terram vt auulſam vna cum pelle capitis comam manu retinuerit. Cumq; per horam integram maledicus omni ſenſu deſtitutus humi iacuiſſet, tandem à quibuſdam eiuſdem concionis auditoribus in ſuas ædes deductus eſt, & menti reſtitutus cauſſam rei geſtæ illis ingenuè aperuit.

> refunditur (recidit) in ſuum au ctorem, ſpi ritualiter ſemper (1. Cor. 6) ſæpe etiã corporaliter.

11.

Inſaniebat (inquit Bencius & poſt ipſum Bonifacius) Vercellis in Italia Anno 1586. quidam iuuenis amore aleæ & ludi: quodam die veſpere cum haberet domi colluſores, orta eſt, vt ſæpe fit, inter eos contentio. Cum hic peierans audacius veluti liti finiendæ, ne viuam, inquit, inuadat in me malus dæmon ni hoc ita ſe habet. Viſus iecisse fulmen eodem veſtigio temporis totum cubiculum intremuit, & tetra vmbra ante oculos videntum oberrans circum parietes apparuit, metu ille exanima-

> Cæſareus li. 2. vitæ S. Engelberti Colõ. c. 14. apud Sur. mẽſe Nou. refert quẽdã in martyrem maledicũ, ſibi inſaniã eſſe imprecatum, &c.

tus in terram cadit, vbi primum ad ſe redit, multo magis pauidus & vecors conſcientia veniam à Deo eiuſq; matre ſuppliciter petit, votoque ſe obſtringit curandi ſacri in proximum diem B. Nicolai Tolentinatis pedeſtriſque itineris religionis cauſſa ad Varalli montem ſuſcipiendi. Nihilo ſecius fuliginoſa volitat effigies circum cubiculum, & lucernam conatur extinguere, at ſocij terribili ſpectro crucem ligneam quacunque ferretur opponere. ab hora altera noctis ad diluculum vſq; formidoloſa durauit pugna: ita aleatores, renouantes ſubinde oleo infuſo ne deficeret lumen, æquauerunt nocti in lucemq; tulerunt nō ludum ſed timorem, tum vero audito matutino ſigno angelicæ ſalutationis nocturnum monſtrum quod caua ſub imagine omnes terruerat inimico offenſum ſono procul nebulis obſcurum in ſuas tenebras receſſit, conſternatorum magis oculos quam animos relinquens. ad nos (Patres Soc. Ieſu) illico iuuenis exanguis & attonitus, nec ſatis ſecurus viſus ſibi, non ante miſeram mentem metu quam peccatorum vinculis abſolui. Hæc Bencius.

12. Bencius in annal. colleg. Anguen. Prouinciæ Luſitaniæ. Bonif. li. 4. c. 9.

Idem, aleator quidam miles, ait, male cedente ludo crumenam verterat, quam iacturam vbi perſenſit, ad diras conuerſus cacodæmonem contentiſſima voce inſanus appellat, & ad ſocios, num quis quid ad principem Satanam? vocatus ille adfuit truci (videlicet ipſi

ſoli

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

ſoli viſus) aſpectu. Tum excuſſa homini audacia, conſternatus enim ſubito ac pene exanimis cadit. Siſtit deinde ſe propere ſacerdoti Soc. Ieſu, trepidans confitetur. Monſtrum in præſens concedit, rurſus redeunti domum ſe offert, manus iniectans, ſuamq; ſe prædam dictitãs in infernum carcerem abducturum. Enimuero ille contremiſcere, quibuſque poteſt vocibus Dei matrem inuocare, perducitur interea à comitibus in ſacellum Virginis, ſuperioris anni inclytum miraculo, vbi rurſus cum repentina corruiſſet formidine iterat confeſſionem atq; omni tandem periculo liberatus ipſe ſibi exemplum ad morum & vitę emendationem fuit.

Quidam Hiſpanus (ſcribit Delrius) ſæpe à 13.
me viſus in Belgio Capitaneus Brauo vocaba- diſq. mag.
tur, deditus ſupra modum aleæ, & in ludo di- lib. 3. p. 1.
ras iacere in ſe iuxta atque alios pronus, qua- q. 7. ſec. 1.
dam die cũ damnoſi ſemper numeri, lucrum iactu quærenti, ſubſilirent, ira efferueſcens in caput ſuum diriſſima precabatur, & ſubito coram multis qui aderant, ab inuiſa manu ad tabulatum vſque ſublatus poſt aliquot tempus mortuo quam viuo facie ſimilior in ſolum deponitur, lurorem cadaueroſum toto poſt vitę tempore retinens.

In Sileſia, inquit idem, quidam nobilis 14.
cum inuitaſſet conuiuas, & hora conuiuij iam Ibid.
inſtante & apparatu facto ſpe fruſtratus eſſet, excuſantibus ſe conuiuis cur non cõparerent,

Proculdubio non ex animo ſed ore tenus ſolum prorupit in hęc verba.

Vita temerarias Dei appellationes etiam non ex corde & volũtate, vere inuocandi procedentes.

prorupit iratus in hæc verba: veniant igitur omnes dæmones, ſi nullus hominum mecum eſſe poteſt. His dictis domo egreditur in templum, vbi paſtor Eccleſiæ concionem habebat, & vt iracundiam concoquat auſcultat aliquandiu, dum vero in templo moratur veniunt equites in aream domus magni & nigri, & iubent ſeruum domus vt dominum ſuum aduocet, eiq; ſignificet adeſſe hoſpites. Seruus conſternatus abit in templum & indicat hæc domino ſuo; qui neſcius conſilij paſtorem cõſulit. Paſtor abrumpens concionem hoc conſilium dat vt tota familia domo exeat, quod cum fieret & famuli ac ancillæ properarent, forte obliti infantem in cunis iacẽtem & dormientem ſecum non auferunt. Dæmones incipiunt cõmeſſari, & vociferari, proſpicereq; per feneſtras formis vrſorum, luporũ, felium & hominum, & monſtrare pocula vino repleta, aſſaturas & piſces. Hæc vicini, nobilis, paſtor, & alij cum viderent, ah, inquit pater, vbi infans meus? vix cum hæc dixiſſet, vnus ex dæmonibus vlnis ſuis infantem ad feneſtras geſtat, quaſi monſtraturus parentibus. Nobilis prorſus conſternatus & ſolicitus de incolumitate infantis, fidum habens ſeruum, quem interrogat, quæſo tu dic quid agam? Seruus, Domine, inquit, commendabo & cõmittam vitam meam Deo meo, & in nomine Domini ingrediar, & vt infantem auferam auxilio & beneficio Dei videbo. Bene, inquit,

nobi-

nobilis, Deus tecum ſit, & iuuet te, animumq́; tibi confirmet. Seruus accepta benedictione à Paſtore & (à) reliquis ingreditur, & ante cõclaue in quo erant dæmones congregati, procidit in genua, & ſe Deo commendat, & hoc animo aperit ianuam, & videt dæmones horribili ſpecie ſedentes, ſtantes, obambulantes, ſerpentes, & vno impetu accurrentes ad ſe & vociferantes: Hui, hui tu quid hic? ille ſudans & tamen diuinitus confirmatus alloquitur dæmonem, qui infantem geſtabat. Tu, inquit, mihi infantem trade. Nequaquam, reſpondit iſte, iam meus iſte eſt infans, dic domino tuo vt veniat & accipiat infantem. Cui ſeruus, Ego fungor iam officio meæ vocationis, in qua me Deus collocauit, & ſcio quidquid in hoc officio facio id Deo gratum eſſe, quare ratione mei officij, & auxilio, nomine & virtute Ieſu Chriſti aufero abs te infantem & patri eius reſtituo, atque ita ipſe apprehendit infantem & brachijs ſuis amplexus eſt. iſti nihil aliud reſpondent, niſi vociferantes. Hui nebulo, hui nebulo, relinque infantem, relinque alioqui te diſcerpemus. ille nihil curans minas diabolicas abijt incolumis, & incolumem infantem patri nobili reddidit. Dæmones poſtea aliquot diebus elapſis euanuerunt, vt in ædes denuo migrare tota familia nobilis potuerit.

Graues pœnæ inconſulti dicti.

Verbum, Reliquis, putat Delrius eſſe cõmentum Lutherani hominis.

15. Nobilis adoleſcens cum cœlo tonante cal-
Exannuis literis Soc. Ieſu inhiſt. collegij Aueniōnenſis, manuale Sodalit. pag. 479. ceos indueret & cacodæmoni alterum qui anguſtior eſſet, deuouiſſet, audita verba ſen-ſit, fulmen enim maxima vi in pedem incidit, calceumque exuit, & qua vi deciderat eadem dimidiatum calceum carpentoratum detulit ad Energumenum, quem, vt vidit, benè habet inquit, reliquus calceus meus erit. Diſce non euocandam tam facilem ad inferenda ore te-nus optata ſupplicia hoſtem.

16. Cæſarius ſcribit mulierculam quæ ſe dæ-
lib. 11. moni addicebat à dęmone ſublatam in altum nuſquam comparuiſſe.

17. Ioan. Niderius: Tempore, ait, quo in vni-
lib. 5 Formicarij, uerſitate Colonienſi. S. Theologiæ ſtudio ad-ſcriptus fui, quædam virgo 15, vel 16. añorum, moribus ſecundum ſæculum ſatis compoſita, in domo cuiuſdam ſuæ conſanguineæ nutrie-batur extra domum parentum. Cumq́; cogna-tæ ſuæ ſcyphum ſatis vilem terreum à caſu fregiſſet, cognata ira replebatur in lapſus ne-gligentiam & in ream virginem. Quæ virgo tanto hoc moleſtius tulit quanto vaſculum vilius extitit. in iram ergo commota virgo, hora ſumendi cibum nec comedere, nec ad menſam præ ira ſe præſentare voluit, cuius cognata ait: oportet vt comedas. at virgo a-pud ſe (vt mihi poſtea & exorciſtę retulit ſuo) huiuſcemodi verba ſubmurmurando dice-
Imprecatio. bat: ſi me oportet edere, in nomine diaboli fi-at. ſic menſam acceſſit, benedictionem men-

ſæ,

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

ſæ, quàm bene ſciebat, dicere neglexit, & in primo morcello, vt putabat, muſcam ori illa. tam ſenſit: quam cum nulla arte eijcere valeret, deglutiuit, & immediatè obſeſſa fuit, ſemper tamen vſum rationis bonum habuit, licet ſæpe ſatis vexaretur à dæmone. Cum autem in domum parentum cum magna mœſtitia reduceretur, & diutiſſime nullus reperiretur qui liberare poſſet: tandem quidam frater noſtri ordinis nũc Magiſter Gotfridus Schluſſel S. Theologiæ profeſſor calamitati parentum & puellæ compatiens, ſe in eius exorciſationem intromiſit, pacto tali præuio: vt ſi liberaretur nihil terreni exorciſtæ daretur, ſed puella in caſtitate ſolita ſi vellet liberè & non in matrimonio de cætero Deo militaret. Legit igitur Pater præfatus Miſſam, obtulit obſeſſa oblationem conſuetam, in eadem adfuit per totam, & in nullo vexari videbatur. Finitoq; officio poſt ſatis diutinum exorciſmi actum membris omnibus virginei corporis pene præcontuſis exijt dæmon, & ita virgo deinceps Domino in caſtitate ſeruiuit.

Prætermiſſa menſæ benedictio ex iracũdia & contemptu.

Pœna.

Liberatio mediante Miſſæ oblatione, Propoſito virginitatis & exorciſmo

18. Paulo ante idem Niderius de quodam inſigni maleficarum iudice, Petro ait: adueniente nocte Petrus (in caſtro Blanckenburg) ſe benedicendo crucis ſigno cubitum iuit. ſed nocte omnino ſurgere propoſuit ad ſcribendas quaſdam neceſſarias epiſtolas, vt mane recedere à loco valeret. Euigilans igitur intempeſta nocte ſibi videbatur, ex inopinato quod

vi. Delrium lib. 3. diſq. mag. p. 1. q. 7. ſ. 1.

dies adeſſet, luce deceptus fictitia, de quo in ſe iratus, quia vt putabat noctem neglexerat, non ſe vt debuit, muniendo more ſolito, veſtimentis induit, per gradus altos verſus locum vbi pugilarem habuit deſcendit, & locum clauſum reperit. De quo maiore ira exardeſcens, cum murmure per gradus quos deſcenderat verſus lectum iterato ſcandebat, emittendo vnicam ex indignatione maledictionem per verbum ſatis breue, ac ſi diceret in nomine Diaboli. Et ecce ſtatim in tenebris denſiſſimis Petrus proiectus eſt in præceps per graduum prædictorum paſſus adeo grauiter vt famulus qui deſubter ſchalam dormiebat excitaretur, & exiens quid adeſſet conſpicere volens, dominum ſuum Petrum accenſo lumine ſolum in terra priuatum rationis vſu jacentem, & colliſum per omnia membra ſanguinem plurimum è corpore emittentem, reperit. Subdit, poſt aliquod tempus confeſſione rei vnius compertum quatuor maleficos cum vna malefica ſe Petrum gradibus deieciſſe.

Nota quã noxia Crucis conſignatio neglecta Petro fuerit.

19. Mulier fuit annos nata 52. è quibus 44. vixit à diabolo obſeſſa. Nam cum 8. ætatis annum ageret male precata ei mater eſt, atque inde in dæmonis poteſtatem tradita. Nihilominus vbi adoleuit nuptui data eſt, atque è duobus deinceps viris liberos tricenos ternos ſuſcepit, ſemel enixa quatuor infantes, bis tres, quater gemellos, ſingulos alios ſingulis partubus,

Hiſtoria energumenæ à malo dæmone Embricę feſto S Aug. die liberatę an. 1597. de

tibus, ex quibus 9. adhuc ſuperſunt. Hoc illi vero Deus beneficij dedit, vt nunquam dum vterum ferret mali quicquam à dæmone pateretur, quem vt eijceret remedium quæſiuit ſæpe, ſed non valuit, præterquam quod ſacris carminibus coactus à ſacerdote aliquando eſt vt ad certum temporis ſpatium relicto reliquo corpore, pedi tantum inſideret. Vir eius quem nunc habet, non ferens horribilem tot annorum vxoris vexationem tãdem ex Hollandia (ibi enim años aliquot in Homano oppido vixit) ſibi ad aliquem Catholicũ locum ducendam putauit, ſi forte aliquid opis afflictæ afferri poſſet. Itaq; 26. Auguſti Embricam venit, cui cum appropinquaret, tum dæmon furere, & nullo modo progredi velle cœpit, vt multo viri labore vix tandem ad portas pertraheretur. Poſtridie cum ſtipem, compita obiens, illa peteret in viduæ cuiuſdam domum ingreſſa, vbi mox à dęmone agitari cœpit, qua re familia ꝑculſa, illico domũ noſtrã mittitur, qui noſtrũ aliquem euocet. interea mira ille garrire, & mulierẽ horribiliter torquere, vix vt duo aut tres abiectã humi poſſẽt erigere, cumq; eũ adoleſcens Sodalis admotis reliquijs cõpeſcere vellet, Tu, inquit, nihil efficies, ſed illi qui poſt templũ habitant, quos etiam venientes pręnunciabat. poſt eorum aduentum ſimul ac mulier ad ſe redijt, prouoluta ad eorum pedes ſumma fiduciæ ſignificatione rogauit opem ſibi ferrent; quam ſolati iuſſe-

ſcripta à P. Petro Roſenbaum.

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

iuſſerunt poſtridie in tempore ad templum præſto eſſe. dum autem noſtri dæmonem in-crepant inter alia dicebat. vtinam mihi per cultros & ſicas eo eniti liceret quo vos perua-nietis. interea noſtri rem precibus & pœni-tentijs Deo commendarunt. Poſtero die ma-ne idem adoleſcens ad hoſpitium fœmine-am adducturus vt venit, iam fugam ne quam paraſſe comperit, &, diu quæſitam mulierem cum tota ciuitate diſcurriſſet ægre inuenit, & magna difficultate ad forū perduxit. ibi tum prope ſcholam dæmon eam terræ tanta vi af-figere, vt multorum ope propelli vix poſſet, poſt horam ex tam propinquo loco in ſacel-lum noſtrum pertracta clamore & mugitu omnia compleuit. Tum ad ſedem confeſſio-nis R. P. Rector cum eam admoueri iuſſiſſet, confeſſionem ab ea inuito dæmone expreſſit; at vbi abſoluere eam voluit, omni vi ille reſi-ſtere, ſed fruſtra, niſus eſt. inde ſacrum, & po-ſtea exorciſmi adhibiti, quibus ad medium decimæ nullo cum effectu inſudatum eſt. ſtu-dioſorum ſacro abſoluto reducta iterum ea in templum, nouum ſacrum & noui exorciſ-mi ſuſcepti, orantibus interim intentè pro miſeræ ſalute ſodalibus B. Virginis, & alia piorum multitudine circumfuſa, ita inter ho-ram 11. & 12. vi precum vrgente diabolus vo-ciferari & mulierem ita grauiter exagitare cœpit vt qui aderant contremiſcerent. Mi-rum erat tum videre quas partes occupare

de-

dæmon, eas aut agitari aut nigris maculis infici, quarum duæ teterrimæ in lingua ſubinde apparebant. Verum cum particula oſſis S. Eliſabethæ Vngaricæ pede admouebatur clariſſimè cernebamus vt nequam ſpiritus inde ſub cute ſe mouens velut mus aliquis vſq; ad caput aſcenderet. in eo igitur extremo exorciſmo cum grauiſsime torqueretur, ore, manibus, pedibuſque mulieris, furens arreptum ſacrum cereum momento in fruſta diſcerpſit, & vnguibus in faciem miſeræ conuerſis, eam, niſi conſtrictus fuiſſet, totam deformaturus fuiſſe videbatur. Cum inde omnes acrius veniam à Deo poſtularent, nulla amplius in fœmina commotæ mentis & obſeſſi corporis veſtigia apparuere. Cum tamen adhuc incerti de liberatione eſſemus, à prandio ſacerdos iterum eam exorcizare aggreſſus, cum diu nequicquam laboraſſet & illa ſe liberatam ſatis oſtenderet, egimus Deo gratias & illam dimiſimus, quæ poſtridie nihil interea mali experta deuote in ſacello communicauit. Sed magnopere debilitata, exortis etiam in corpore puſtulis, & ijs partibus quas dæmon agitauerat grauius afflictis aliquamdiu, ſed integra cum mente, decubuit & confirmari nunc ex dolore cœpit Geſta ſunt hęc in ſacello D. Georgij in æde S. Martini ſpectāte omni populo, catholicis ſimul ac hęreticis, qui omnes nō ſemel à ſacerdote noſtro admoniti inter exorciſmos ſupplices à Deo opē miſerę poſtularūt.

SVP-

Ex lib. 5. R. P. Ioan. Boniſacij de D. Virgin. Mariæ vita & miraculis.

## *SVPPLICIA ET POENAE quibus vnigena Dei filius in ſuam genetricem & parentem ſacroſanctam Mariam impia, atrocia, nefariaq́, vel dicta vel facta vindicauit.*

1\. Damaſc. orat. de dormitione virg. Simeon Metaph. orat. de ortu educat. & deceſſu Mariæ. S. Aug.

DEportantibus Dei matris inclytæ mortuum corpus Apoſtolis, hiſtoriæ produnt Hebræum quendam diaboli furore feretro ſanctiſſimo impias & ſacrilegas manus inferre conãtem brachia & manus amiſiſſe, quo vero agnito defletoq; ſcelere, virginali tabernaculo armarioq; cæleſti defecta mẽbra ſupplex admouiſſet ad priſtinam tum ſanitatem, tum integritatem rediſſe, fortemq; eandem & mitem virgineam manum perſenſiſſe.

2\. Sur. in vita S. Domnoli Epiſcopi Cænomanenſis. de vit. Sanct. Maij.

Vir quidam opibus & nobilitate præſtans, ſua vero ſorte non contentus, in villam Chriſti matris cultui dedicatam atq; deuotam, cui Domnolus præerat, præclarus antiſtes, furenter inuaſerat, & eam ſibi cum ſumma Eccleſiæ pernicie ac ciuium offenſione vendicarat. Sacrilegum hunc tyrannũ Domnolus, vt reſipiſceret, ſibi caueret, & ad frugem ſe reciperet, admonebat. vt nihil agi videt, ad Deum ſe cõuertit orandum vtque diuinum ſuum numen oſtenderet, exorauit. nefariamq; hominis audaciam accuſat, qui bona olim ad expiationem animarum Eccleſiæ à fidelibus donata, & tributa, & rapere auſus eſſet, & reddere appellatus rogatuſque renueret. Interim ſacri-

legus diuina animaduerſione febrem patitur, cuius vi atque æſtu ſine vlla intermiſſione jactatur. Nihilo ſanior effectus ablata retinet, neque fertilis villæ poſſeſſione cedit. Cumq; febris arderet, & lecto affixus teneretur, nocte quadam præpotentis Dei matrem cuius res & bona vſurpauerat, irruentem vidit, quæ ferreo malleo, quem gerebat, pertinacis reguli frontem vulnerauit. ille nimio terrore concuſſus confeſtim ad S. Epiſcopum miſit, qui rogarent, vt quæcunque ex rebus diuæ Mariæ, Dei ſanctiſque Geruaſio ac Protaſio dicatis ablata eſſent, cum fœnore & incremento reciperet, ſe reddere velle quamprimum. Neque tamen prius conualuit quam præſens Domnolus, quæ erepta erant, conduplicata recuperans pro ægrotante preces effudit. Sed vulneris tamen in fronte accepti ad rei memoriam eruditionemq; multorum quo ad diues ille vixit, impreſſa veſtigia remanſerunt.

Abbas Cyriacus, qui & Lauræ Calomonis Presbyter eximiæ ſanctitatis fuit, ſibi aliquando mulierem decora facie præditam & purpura indutam in quiete viſam ſcribit, quæ ſacroſancta Dei mater erat, vt euentus ipſe monſtrauit. Cæleſtis reginæ latus duo viri cingebant, quorum viſenda species erat, & aſpectus honorandus ex quibus alter Euangeliſta ille fuit Mariæ longe cla- 3.

Ioannes Moſcus Euiratus in prato ſpirituali c.46.
Bredenb. lib.2.c.18.

longe chariſſimus, cui Chriſtus ex illa, in qua pependit cruce Virginem virgini commendauit, alter glorioſus ille Baptiſta lucis illius veri præcurſor & nuncius. Abbas cubiculo egreſſus foris ſtantem orat, obſecratque Deiparam, vt illud humile tectum ſua præſentia vultuque dignetur, quod idem poſtulatum Virgine morante & in eodem veſtigio perſiſtente Cyriacus iterabat. Afflictanti ſe Cyriaco, & cur introgredi nollet modeſtè & verecundè quærenti, meus, inquit, hoſtis eſt tecum, & vt intrem efflagitas? Quibus ita reſponſis mater alma diſceſſit, vt & comites, neque amplius quæ triſtes conſolatur, apparuit. Cyriacus hæſitat, circumſpectat, animi pendet, quiſnam ille eſſet Virginis hoſtis, aut vbi lateret, & quia ſolus ipſe habitabat in cella, metuere ac vereri, ne quid ſceleris in Deiparam admiſiſſet, cuius ſibi ipſe conſcius non eſſet; etenim quæ peccauimus non omnia comperta ſunt nobis, dæmone fallente, errorumq; vel memoriam euellēte, vel intelligentiam obſcurante; accedit cæcus ille noſtri amor, cuius cauſſa nobis ipſi parcimus atque indulgemus, neq; conſcientiæ ſinus & latebras anxie perſcrutamur. Sed tamen Cyriacus, qui ſui & cenſor & explorator eſſet egregius, cum totius vitę dicta, facta, cogitataq; recoleret, & pueritiam recordatus vltimam inde vſque repetens nihil inueniret de vllo Virginis hoſte recepto, ſanctiſſimæq; matris reprehenſioni

animo hæreret infixa, quæ cauſſam non habere non poterat, in grauiſſimos luctus incidit, & maximo mœrore conſenuit, eum vt aliqua ex parte leniret librū ſumpſit in manus quem Iſychius Hieroſolymæ Presbyter commodarat. Et cum fortè codicem euoluiſſet, duos impij deteſtandiq́; Neſtorij libros in fine vidit aſſutos ſtatimq́; velut diſpulſa nube lumen ipſum veritatis aſpexit, ſibiq́; perſuaſit Virginis ſermonem ex ſuperiori oſtenſione de Neſtorio eſſe interpretandum, qui ſacroſanctæ Virginis hoſtis fuiſſet acerrimus. itaq; vadit, & librum illi ipſi à quo precario acceperat bona fide reſtituit & à ſe hoſpitem illum repulit, qui Mariæ integerrimæ Virginis & feliciſſimæ matris hoſtis erat capitalis. Ecce tibi, inquit, librum, Iſychi, librum reddo tuum, ex quo multo plus detrimenti quam vtilitatis accepi, remq́; omnem ordine expoſuit. Iſychius quaſi è graui ſomno experrectus, virginiſq́; pio ſtudio & amore ſuccenſus duros illos nefarij Neſtorij libros, voluminis appendicem, ex codice ſuſtulit, in flammaſq́; conijciens, non committam, inquit, vt apud me ſit præpotentis Dei matris & ſempiternæ Virginis inimicus. Arguitur à virgine, qui imprudenter, quanto grauiores pœnas daret, qui ſcienter teterrimum illum Deiparæ aduerſarium tecti communione dignaretur? &c.

4. Maius eſt quod idem Euiratus Heliopoli, quæ Phænicis eſt ciuitas, narrat accidiſſe illi hiſtrio- *Cap. 47. Caniſ. li 5. c. 20. operis Mariani.*

Bredenb. lib.2.ca.13. Delr disq. mag. lib.3. p.1.q.7.ſ.1.

hiſtrioni nomine Gaiano, qui in publico theatro ſanctam Dei ſummi parentem vituperare & hoc ſe parricidio inquinare nō timebat. Huic ſe mater clemētiſſima ea forma quæ digito demonſtrari poſſet, oſtendit, verbiſque leniſſimis audaciam reprehendens, quā in te, inquit, de te malè merita hanc gratiam accipio? Quę cauſſa eſt cur me in tanta populi frequentia laceſſas? ille poſt hāc obiurgationem amoris & beneuolentiæ plenam multo impudentius linguæ fræna laxauit, virginem

Deterius blaſphemat.

puriſſimam grauioribus eſt conuitijs inſectatus. Homuncioni procaciſſimo Virgo & mater rurſus apparuit, vtq́ue ſibi caueret illum admonuit; Noli, ait, noli animam periclitari tuam, noli te ipſe peſſumdare; ille (prô nefas) pergit ac perſeuerat offendere Virginem, & in publico ſpectaculo proteruitatem contra ſacroſanctam cæli Reginam multo petulantius inſiſtit oſtendere. Maria dulciſsima tertiò ſe Comædo infami demonſtrans, illas eaſdem preces & admonitiones repetebat. Cū ſe non corrigeret ludio deformiſſimus, ſed magis magiſq́; in amentia perſiſteret, dormienti meridie diuina mater obrepſit, nihilque dicens turpiſſimi Aeſopi manus ac pedes digito consignauit, ductaq́; in orbem linea receſſit. Ga-

Vt truncus inutilis iacet.

janus euigilans manibus ac pedibus ſe reperit eſſe truncatū, acceptoq́; ſupplicio tandem aliquando reſipiſcens & pœnā & culpā omnibus explanabat, itinera Virginis, preces & monita

com-

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

commemorabat, multoq; mitiores ſe pœnas perpeti quàm quas ſcelerum grauitas & animi peruicacia poſcebat, ſupplex fatebatur.

Affine eſt quod Nicephoro narratur authore de quibuſdam verbo duntaxat & nomine Chriſtianis, cum in caupona cum iocis & ludo compotaſſent, non ſe ſatis lepidos & in ridiculis iaciendis facetos viſum iri putarunt, niſi inter pocula puritatis, ſobrietatis, & virtutum omnium matrem, præceptricemque Mariam dictis impiè nefarieque laceſſerent, ſeq; viciſſim ad Deiparæ iniurias & conuitia prouocarent. Non tulit matris ſuæ contumelias vltor Deus ac ſcelerum vindex opportunus, ſiquidem nefariæ horrendæq; illius iocationis authores potenter arripuit, oppreſſit, ac perculit, & cum ipſis, vt dicitur, veſtimentis detruſit in inferos. ipſe autem caupo, illiuſque vinariæ tabernæ Dominus, ad quam perditiſſimi illi ganeones lurconeſque conuenerant, non euaſit impunitus, licet enim lingua nihil admiſerat, tamen diſſimulationis, accuſabiliſque patientiæ pœnas dedit atroces. Ei namque non multo poſt nocte quieſcenti Dei mater aſtare viſa eſt, &, quod blaſphemos tecto excepiſſet, & toleranter audiſſet, ad intactæ Virginis maledicta, & conuitia tacuiſſet, obiurgare, turpeque ſilentium exprobrare inſtitit. Miſer caupo ſupplex Virgini eſſe, delicti veniam petere, ne tàm cito raperetur,

5.
Lib. 18. Eccl. hiſt. c. 33
Bredenb. lib. 2. c 12.
Anno 2. imp. Mauritij, Chriſti 587.

Aequus in Mariana cauſſa vindex.

Ad inferos mittuntur blaſphemi perpetuo excruciandi.

Cedrenus ait Mariam non fuiſſe dignatam cauponem alloqui.

Cornelius Muſc. vol. 2. probatq; homines maius peccatum cōmittere nō poſſint quā lingua qua Deum inhonorant, quia beneficio linguæ cęteris creaturis antecellunt.

ſed pœnitendi ac ſe expiandi tempus daretur,
obſecrare. Virgo daturam ſe & morte dilata
expiandi animi tempus aliquod ſpaciumque
fore promiſit. Vimine(virgula)interim,quod
manu geſtabat, cauponis genua vndequaque
ſignauit, & quaſi exarando ac lineam rotun-
dando circumſcripſit, his ita actis virgo di-
ceſſit, illoq; ſomno ſolutus (euigilans) mem-
bra illa quę vimine notata erant à cætero cor-
pore auulſa(inciſa)diſcerptaq; reperit, & ſan-
guinem quaſi ex recenti vulnere proflue-
tem vidit. Productus hoſpes miſerádus in pu-
blicum fœdo illo corporis habitu, & horri-
bili crurum ſectione, non minus quam o
teſtimonio miraculi veritatem confirma
iuſtiſſimumq; illud omnipotentis Dei & i
dicium & ſuppliciumad multorū exempl
patefecit.

6.

S. Gregor. Turon. li. in gloriam plur. mart. cap. 19.

Templum erat in vrbe Turonenſi S. M
riæ Virgini ac diuino Chriſti præcurſ
dicatum, vbi periuri diuinitus plectebantu
Quidam enim, qui peierandi animo in Eccle
ſiam venerat, ſimulatq; ad Virginis aram a
ſtens manum ſuſtulit, vt iuſiurandum me
dax pronunciaret, retro labens ita caput a
pauimentum ſupinus afflixit, vt vix vitę ſp
vlla ſupereſſet. Cum autem recreatus atq; e
ctus ad ſe miſer homo rediſſet, periurij ſc
lus quod occultarat, patefecit, & ad Dei, M
riæque matris gloriam peruulgauit, Grego
riuſq; Turonenſis huius author hiſtorię qu
eâ

dam Turonenſis vidiſſe ſe ait qui in illo eodem loco iuriſiurandi religionem & teſtimonij ſanctitatem violarunt, haud impunita quidem audacia, quandoquidem omnes intra anni curriculum viuere atque auras inficere deſierunt.

In S. Vincentij monaſterio ab eo loco non longe cui Petra Pertuſa nomen eſt, fratres vnanimes lege lata ſanxerunt, vt cum Pontificijs ex Breuiario, vt vocant, precationibus horariæ beatiſſimæ Deiparæ preces dicerentur. Cumq; id toto triennio ſanctè integreq; ſeruaſſent, perditi cuiuſdam monachi, cui Gazoni nomen fuit, loquacitas impia, vt Virginis ad omnes horas preces tollerentur, euicit, attamen de cælo vindicta tarda non fuit, rapinas, deprædationes, incendia, monaſterijque tum ſeruorum tum adminiſtrorum cędes immittens. itum eſt ad Germaniæ imperatorem qui maleficia coërceret, & à facinoroſis pœnas repeteret, irrito euentu. Conſulitur Petrus Damiani, vir illa ætate vt ſapientiſs. ita ſanctiſſimus, qui merito illa paſſos eſſe reſpōdit, quod impetatricem pacis, vtar illius verbis, abjeciſſent. Mox in terram nuncij corruentes beatiſſimæ Virginis matriſq; laudes nunquam ſe in poſterum omiſſuros receperunt, quibus reſtitutis ſequuta pax eſt, & monaſterij alta viſa ſecuritas. 7.

Ep. ad Thomam Claudiopolenſem Epiſcopum. Ex ſcriptis Petri Damiani, & ex Antonino Florentiæ Archiepiſcopo, 2. par. tit. 16. c. 8. ſect. 1.

In ſodalitijs deligitur vnus qui ſit particeps & conſcius rerum omnium quæ decernuntur 8.

Bencius in annal. in

Bencius in annal. in hiſt. collegij Hiſpalenſis.

Bonif. lib. 5. c. 1.

Nota prouidentiam virg. erga Sodalit. etiam minimorum quæ ad Partheniam ſpectant rationem habet.

nuntur, eaſq́; litteris mandat, ab arcanis dici-tur. In congregatione porro Hiſpalenſi, ado-leſcens qui hoc munere fungebatur, duos ad hanc rem deſtinauerat calamos ſcriptorios inſigni ornatu, etenim caules detractis plu-mulis aureo filo ſericoq́; diſtinguebantur in-uicem permixtis. Horum alterum ſubripuit vnus de ſodalibus iuuenili furto, cuius etſi ſæ-pe pulſabatur cogitatione animus, vt poſtha-bitis rebus omnibus ſe Deo conſecraret in ali-quo cœnobio, prævalente amore in mulierculam quandam, aliud agebat, ad eam aliquan-do cum inſtituiſſet ſcribere, ac furtiuum cala-mum ſumpſiſſet manu, ſenſit ſibi verberari excuſſiſſima palma, ſimulque vox ad aures etiamne ſceleſte rem mihi dicatam temere audes impuro auſu? attonitus hac pronuncia-tione ac verbere, vt ſe collegit iuuenis, recur-rit ad calculos quos pene abiecerat vt ample-cteretur inſtitutum Franciſcanæ religionis, manſit ad aliquot dies memor nota plagæ ac-ceptæ, vt appareret ab alia vi quadam maiori quam ab humana impactam.

vid. locum de Blaſphemiæ pœnis.

9\. Homo tranſalpinus ex ſacra Lauretana domo calcis aliquantulum ſuſtulerat, hunc vbi Romam venit, morbus debilitate ſubita adortus eſt, cum autem de conſilio quorun-dam Lauretum redijſſet, calcemq́ue reſtitu-iſſet illico ſanitatem recuperauit.

Ioa. Antõ. Valtrinus in Societ. annal. 1582. de hiſt. prouinciæ Rõ.

10\. Huic valde affine eſt, quod noſtra memo-ria Ioanni Soares Conimbricenſi Epiſco-

Ioa. Bonif.

co-

contigit qui in illo ad Tridentinũ Concilium itinere, laterem ex eadem Lauretana æde, illo permittente, qui poterat, deſumptum tamen non tulit impune. Nam morborum & dolorum quaſi tempeſtate quaſſatus non ante conualuit quàm laterem eo vnde abſtulerat, referendum curauit, &c.

lib. 5. de hiſtoria virginali c. 1.

II. De illis qui offēſę Deiparæ capitales pœnas luerũt, & horribili genere mortis vitam turpiſſimã finierunt.

Impius deteſtanduſque Neſtorius qui ſanctiſsimam Virginem Dei eſſe matrem inficiabatur blaſphemiæ pœnas ſoluit, & iuſtiſſimo Dei iudicio damnatus horribili eſt abſumptus interitu. A Theodoſio iuniore Antiochiâ (vbi Presbyter, concionator, & eccleſiaſtes èrat) Conſtantinopolim vocatus, & illius inclytæ vrbis præſul Patriarchaque delectus, non ſolum eloquentiæ qua valebat ſed etiam caſtitatis & continentiæ famam collegerat; Sed poſteaquam virus effudit immaculatæque Virgini bellum nefarium indixit, à religioſo imperatore proſcriptus eſt, exilioque mulctatus. Hoc ſupplicio quod mortis inſtar putabatur, nihilo melior effectus, errorem vel furorem potius minime deponebat. Quamobrem Dei vnigena filius à ſuæ parentis improbiſſimo ac turpiſſimo vexatore debitas pœnas repetiuit, & Epheſini Iudicio Concilij (quo eius perfidia damnata eſt) diuinum ac cæleſte ſubſcripſit, ſuoque quaſi calculo Deus ſacroſanctæ Synodi decretum approbauit. Neque enim ſatis eſſe debuit

Socr, li. 7. Niceph. li, 14. cap 36. Theod. li. 4. her. fab. Paul. diac. lib. 18. rerũ Rom. Caniſ. de 13. Virgine li. 5. c. 20. Brendenb. li. 2. cap. 9.

Quartum exilium Euagrius ex Neſtorij epiſtolis ſe didiciſſe ait.

tam tetrum & immane monſtrum à beatiſſi-
moPatrū cœtu reijci ac exterminari, ſacerdo-
tis honore& CóſtantinopolitanoEpiſcopatu
ſpoliari, à ChriſtianoPrincipe quater in exili-
um relegari, à bonis omnib⁹ quaſi peſté exitia-
lé deuitari; ſed & procaciſſimę linguæ, quæ
toties in diuæ matris iniuriam cõtumelias

miri carnifices.

vibrabat pœnas moribundus meritas dedit &
vitam miſerrimo fine terminauit. Siquidem
horrẽdi vermes ſubito miſceri & ſcatere ſunt
viſi qui blaſphemam atq; ſacrilegam Neſto-
rij linguam morientis velut agmine facto ro-
ſerunt, atq; ita confecerunt, vt nihil omnino
ſupereſſet. Corpus quoque in ſepulturam il-
latum terra ipſa deuorauit vt apud inferos v-
na cum ſceleratiſſimo illo animo torque-
tur, & temulentiſſimæ pœnas inſaniæ mul-
ante dependeret. Vermibus linguam exeſa

lib.1.c.7.in collectaneis. vide locum de hęreticis.

fuiſſe Neſtorij Euagrius ſcribit, & ab amano-
enſi ipſius Neſtorij ſe accepiſſe cóſirmat. Por-
ci huius putruiſſe corpus Theodorus lector
aſſeuerat, &c.

12. hiſt. Eccl. Suidas. Surius in vita S. Nicetæ, auctor miſcella. Zon. tom.3. annal.

Conſtantinus Copronymus (qui hoc fœ-
diſſimo notatus atque affectus eſt cognomine,
quod illo ipſo tempore quo ſacro baptiſmi
fonte tingebatur humani corporis ſtercus e-
geſſiſſet, futuræq; vitæ fœditatem ac turpitu-
dinem portendiſſet) eo impietatis & amentiæ
prorupit, vt omnem ſacroſanctæ virginis in-
uocationem & cultum deteſtaretur ipſe, &
Chriſticolis implorari Virginem lege lata
pro-

prohiberet. Neque mirum videri debet tàm turpiter inſanijſſe & eius ſanctionis quæ intemeratæ Virginis cultū abrogaret, authorem illū fuiſſe, qui Venerem coleret, magiſtramq́; libidinis adoraret, pueros mactaret, humaniſq́; victimis vteretur: fœtidorum ita amantem fuiſſe accepimus. vt brutorum animalium excrementis corpus inungeret, ſuoſque aulicos ad idem exemplum non magis hortaretur quam impelleret. Moriturus carbunculum, morbi genus horribile, ſenſit, quo pedes inflammati condolebant. ardentiſſimis etiam jactatus eſt febribus quæ tales fuerunt, vt à medicis remedium inueniri nō poſſet. acceſſit elephantia, &c. Ergo rebus omnibus deſperatis clamare ac vociferari coactus eſt, ſe violatæ Deiparæ Virginis pœnas dare, & propter impias in Dei matrem deteſtandaſque blaſphemias vel viuum flāmis illis tradi quæ nullis ſæculorum ſpatijs ac terminis extinguuntur, precari proinde vt Maria meritis laudibus exornetur quibus ſibi placetur irata. Paulo poſt impius deceſſit, indignus diuinæ parentis auxilio. mortui ſepulti cadauer (Imperatore Michaële Theophili filio) effoſſum exhumatumq́; eſt, incendioque conſumptum, vt ardentis apud inferos animæ ſimilitudinem aliquam exhiberet.

Cur Sectani cuius facta imitantur eius durissimum exitum nō perhorreſcunt.

interitus admodum funeſtus.

S. Mariæ miniſtri.

Conſule Sigonium li. 5 de regno Italiæ.

15. Conſtantinopoli in ea cuſtodia vbi Mariæ Dei matris hoſtis Anatolius iuſſu Tiberij Chriſtiani Principis (qui proxime ante Mau-

Caniſ. li. 5. ca. 20. operis Mariani

citans Euagrium & Niceph. Bredenb. li.2.c.14.

ritium imperauit) tenebatur incluſus, imma-
culatæ eiuſdem Mariæ virginis imago ad eo-
rum ſolatium qui in carcere erant funicu-
relegata pendebat. Anatolius dum ſuam cau-
ſam Auguſto probare nititur, & mutatę con-
rectæque vitæ teſtes colligere ſtudet, in illa-
eandem clariſsimæ Matris Dei effigiem ocu-
los interdum iaciebat, veniamq́; ſcelerum
flagitabat, animique dolorem ex vitæ ſu-
rioris ſcelerum memoria & recordatione
ſceptum ad placandum optimi Principis
ram callide ſimulabat, neque tam animo
ſyncera voluntate, quàm externo corpo-
habitu atque ementita ſpecie ante virginea-
illam imaginem virginum Virgini ſuppli-
bat: ad fictas Anatolij preces (rem miran-
Virginis imago iratæ ſimilis vultum auer-
illo ipſo qui cuſtodiæ præerat inſpectan-
alijſque compluribus rem admirantibus pa-
tim ex cuſtodijs (quibus carceris erat cuſto-
dia commiſſa) partim ex eorum conſolato-
ribus quos carcer incluſerat. Quin & ip-
Dei matris effigies illo eodem iracundo
ſpectu, Anatolio minitabunda multis e-
tra carceris limen monſtrata per viſum
ſe narratur, quo grauior populi totius in ſ-
leratiſſimum illum ſontem eſſet offenſi-
Quamobrem communis omnium vox An-
tolium de medio tollendum, horribiliq;
ſupplicio interimendum eſſe proclamau-
itaque omnium conſenſu beſtijs obiectus

Imago Deiparæ virginis vultu auerſo preces ſacrilegi repudiat.

fer-

ſerrime dilaceratur, ſed non miſerabiliter, nec enim erat quem miſeratio commoueret. Lupi extincti Anatolij cadauer arreptum, diſcerptum, huc illucq; iactatum auidiſſime conſecerunt. Euagrius ſcribit Virginem ſe nonnullis fidelibus oſtendiſſe, & eos contra ſceleſtiſſimum priſcæ impietatis renouatorem incitaſſe, dixiſſeq; filium ſuum ab Anatolio contumelijs affici, &c. addit etiam: Anatolius beſtijs obiectus & ſublatus in crucem, populi, quæ parabantur, tormenta effugit, quæ præterea inferebantur terminauit. Sed lupi, quæ viſa noua res eſt, corpus è cruce deturbát, humi proijciunt, & paſtu crudeli membratim deuorant, &c.

Leo Armenus imp. hoc nomine quartus filius Conſtantini Copronymi ex templo S. Sophiæ auream coronã immenſi pretij gemmis ornatam rapuit quam Mauritius imp. ſanctiſs. Deiparæ dedicarat, ad ornatum templi; carbũculo agitur in capite oborto perimitur, qui virginei capitis ornamento auſus eſt ſacrilegas manus inijcere. Zonaras ait: Leo interficitur qui ſe ſanctorum carnibus ſaginabat. 14. **Petrus Mexica in eius vita.** **In annal. Conſtant. & Cedren.**

Dynaſtæ Scheirenſes tantæ nobilitatis vt Bauariæ principes multos procrearint inſigni pietatis laude commendantur. Quod enim in ipſorum ditione erat præſtans admirandumque caſtellum religioni beatiſſimæ Virginis dedicauerunt, monaſterioq; conſtructo, quod etiam nunc apud Bauaros extat, gẽtis ac 15. **Trithemius li. de origine gentis principumq; Bauariæ.**

fami-

familię non modo ſepulchrum (humantur
lic Bauariæ proceres) ſed etiam monumẽtum
reliquerunt. Cum enim illo qui familiam
cebat, quiq́ue rerum ſine controuerſia leg
mus poſſeſſor erat, extincto, atque mor
multi hæredes de Scheirenſi caſtro dubia
contenderent, diuino agente ſpiritu ſuo q
que iure ceſſerunt, & beatiſſimæ cæli Re
caſtrum illud libẽtiſſimis animis obtuler
vno excepto (duce) Arnoldo, quem Bau
rum vulgus infelicem appellat, cũ infan
dicere debuiſſet, qui, quod malo dæmon
miliariter vteretur, ſuæ partis eum cõlon
facere nitebatur. Non multo poſt dæmo
micus gratiam retulit, eam ſcilicet, quam
deuotis reddere conſueuit. Viuum enim,
ſtitum, ſoſpitemq́; corripuit, & in lacum
naſterio vicinum deturbauit, vnde nunq
eſt viſus emergere. Eo igitur de medio ſu
to rata cæterorum donatio fuit, & hæred
peruenit ad Virginem, quæ ſuos remuner
amatores, & ex orci faucibus ereptos ad il
vitam perducit quæ nullis finibus term
tur.

16. Placentiæ cum in taberna luderet quid
Vinc. Beluac. part. 2. ſpec. hiſt. lib. 8. c. 104
teſſeræq́ue iactus minus proſper ac felix c
diſlet glorioſiſſimo Mariæ ventri vbi C
ſtus ſalus noſtra delituit impudentiſſimu
leator obſtrepuit, ad nefariamq́; vocem,
virgineum vterum diris execrationibu
deuouet, ſubita morte proſtatus deſcend
i

feros, quem locū illi incolunt quos à ſe Chri-
ſtus bonus paſtor ſegregauit, ac furijs vltrici-
bus dæmonibuſq́; permiſit in omnem ęterni-
tatem cruciandos.

Matrona quædam tum pia, tum nobilis 17.
Ciſtercienſi familiæ prædia donauerat, qui-
bus in S. Mariæ Virginis honorem ædificata
domus eſt. Cum vero poſt matronæ fundatri-
cis obitum quidam ſe bonorum illorum legi-
timos eſſe dominos profiterentur, Ciſterſien-
ſibus moleſtiſſimi eſſe cœperunt duce Henri-
co, qui omnium acerrime monachos agita-
bat. Sed tamen Dei matris ope, quæ cœnobio
præſidebat, effectum, vt non modo præda illa
non potiretur, vt ſuis etiam fortunis euerſus
vitam egerit infelicem. Alter eorundem bo-
norum cupidus, & monachorum illa de cauſ- 18.
ſa vexator, à ſuo occiſus ſeruo temeritatis &
audaciæ meritas pependit pœnas. Tertius ad 19.
hanc eandem prædam aduolans & anhelans
in ipſo curſu miſerrimus occidit, ac medius
crepuit, vt, qui Iudę proditoris imitabatur a-
uaritiam, Iudę ſupplicium pateretur. Hanc
memorabilem vltionem cū quidam ex com-
petitoribus vir & nobilis & bene cordatus au-
diuiſſet, in templum Virginis venit, & hæc ibi
verba fecit. Domina mea, ſpes mea, portio
mea, ſint tua tibi, ego iure meo cedo, & quæ
me pars attingit, ſi forte attingit, eam ego par-
tē libenter abiudicio. At vero poſt tot exēpla 20.
Dynaſta quidā potens, cui Vvilhelmo nomen
fuit,

Cæſarius monachus Ciſtercienſis lib. 7. dial. c 7.

Suppliciū quorūdam optimatū qui in bona SS. dicata virgini rapaciter inuolarūt.

fui[s v]xoris inſtinctu, quæ ſeſe bonorum illo-
rum iactabat hæredem, ſua ipſe authoritate a-
grum omnium optimum occupauit, ac mo-
nachis omnia iura ac lege tenentibus grauiſſi-
mum tum rapinæ, tum cõtumeliæ vulnus in-
flixit. interea religioſus quidã ſacerdos in vi-
ſu didicit, quæ pœna raptorem ſacrilegum
maneret, eumq́ue proinde monuit, vt mature
reſipiſceret. ille, culpata vxore, aliena reti-
re, monachis negotium exhibere perſeuerat.
Romani pontificis ſeuero diplomate ac lite-
ris appellatus rem diutius quam par eſſet, ex-
traxit. interea dum curſores vltro citroq́ue
meant, ac de pace cum VVilhelmo fruſtra con-
tenditur, deq́ue agro reddendo nequicquam
laboratur, religioſus quidã Ioannes nomine
in ſomnis virginem querentẽ audiuit, atq́ue
dicentem, hinc me cõmigrare neceſſe eſt. ro-
gãte hoc ipſo, quo ibis domina? ad filium me-
um, inquit de Guilhelmo cóqueſtura qui me
hoc in loco quietam eſſe non ſinit. Poſtridie
mane viſionem Ioannes cuidam VVilhelmi
famulo patefecit, & dominum cito moritu-
rum ſignificauit. irriſit famulus, ſed irriſiſſe
nollet, quippe qui altero pede truncatus de-
ſpicientiæ pœnas perſoluerit. At VVilhelmus
dum in ſecreto quodam nemore (viſcũ manu
tenens) volucres aucupatur à duobus Comitis
Seinenſis adminiſtris, quibus vnius capti
prædam extorquere conabatur, lancea tranſ-
fixus cõfeſtim exſpirauit. vxorem malorum
cauſſam priuignus quidam ex bonorum ob-

nium poſſeſſione cum liberis, quos ex tyranno VVilhelmo ſuſceperat, pręcipitem exturbauit, ita Ciſtercienſes glorioſæ Virginis Deiparæ meritis ac patrocinio cuncta pacificè poſſederunt.

Anno 1472. Seneſcentem Roſarij pietatem D. Dominici ſectatores, iubente Deipara, Coloniæ renouandam curauerunt. Procedente eorum induſtria & ſodalium augeſcente numero proſpera Roſarij principia duobus illius vrbis cócionatoribus ingrata & iniucunda fuerunt. Honorabat concionatorũ hoc par & celebrabat maxime populus ob eloquendi arté, &c. ideoq; ad horum vtriuſq; cócionem audiendam innumerabilis multitudo cófluebat. igitur Roſarij creſcétis iniuria tacti pium illum ita precandi morem vituperare adorti, ſeq; verſutè ac veteratoriè in auditorum animos inſinuantes Roſarij religionem & ſanctitatem perfidioſe impieq; vexarunt, &c. Alter illorum incredibili audacia cum ſodalitatis pernicie & ſacri iniuria Roſarij ex ſuperiore loco multa iactauit, multa impudenter effutiuit, quibus retardati quamplurimi, & ab illa pietate deterriti partim ſocietatem, quam iam coierant deſeruerunt, partim ineundæ conſilia prorſus abjecerunt. Ergo quæ tàm multos numerabat, ad paucos redacta ſodalitas ſuam ſolitudinem deplorabat, &c. Cum vero nugator ille quoſdam animaduertiſſet, & Roſarij adhuc tenaces eſſe, & ſodalitia fre-

21. Ioan. Lopeſius li. 1. de Roſario c. 15.

frequentare, ad eam religionem funditus
ciendam, & eius exinanienda collegia conc
nem in proximum dominicum diem ci
plauſu auditorum indixit, in ea ſe monſtr
rum quá eſſet inanis & futilis illa religio
aduenerat dies ille dominicus, populuſq;
maximam concionis exſpectationem a
ctus templum omne compleuerat, cum e
tempus eſſet, neque tamen Orator appar
quæſitus à ſuis inuetus eſt mortuus. Nam p
ximi ſabbathi nocte cum ſanus & valen
cubuiſſet, & minacem illam concionem h
turus eſſet, Dei iudicio omnia contuent
regentis obijt repentino, nullo teſte, nullo
iutore, nemine qui Ieſu & Mariæ ſaluti
nomina identidem inuocaret, aſſiſtente.
alter orator erroris concors & ſocius, & R
ſarij exagitator impius illud humanitus e
niſſe cenſens mortui conſiliorum ſe pro
ſus hæredem Roſarij reliquias delere con
tuit, & in eum finem concionem aduoca
dumq; in ſuggeſtum parat aſcendere, tota v
be inſpectante, paralyſi repentina corrept
in terram ſubito concidit, integra tamen D
beneficio mens muto infantiq; relinquit
igitur cum intellexiſſet improbati Roſarij
pœnas meritas dare & ſupplicij cauſſam
noſceret eſſe iuſtiſſimam, cæli Reginam, c
voce non poſſet, animo & corde compel
leniſſimeq; Matris opem mutatus implor
& linguam à Deipara poſtulat, quę prædi
dib

dilaudetque Roſarium, quod furijs agitatus impugnaſſet: impias ac nefarias conciones, commendandi pro dignitate Roſarij tum aſſiduitate tum alacritate & ſtudio, ſe correctu-rum eſſe promittit, diligentioremq; ſe ad reſtituenda ſodalitia fore quàm fuiſſet ad euertendā furioſus. Vix ſponſionem votumq; finierat, cùm vox illi linguaq; redditur, & valetudo priſtina reparatur. inde ad ſuggeſtum lætus aſcendit, & in illa maxima frequentia Roſarij laudes ſuauiſſimè veriſſimeq; proſequitur taleq; ei pietati teſtimoniũ dedit quale eius eſſe oportebat, qui beneficio Virginis ex tanto & tam graui tum periculo tum ſupplicio incolumis euaſiſſet.

Homo improbus omnium religionũ con- 22.
temptor Brunſvvichij vbi cœnobium virgi- Nicolaus
nũ, erat inſtructũ, ſub trunco arboris, vbi Dei Orlandi-
matris imago infantem Ieſum fouens in gre- nus in an-
mio tot iam ſecula ſuũ habuerat domicilium, nal. Societ.
cellam vinariam effodi iuſſit, ſed non impu- 1584.
ne hæc impietas abijt. Tertio die horrea omnia & pecus vniuerſum & ædificia nonnulla ignis incendio conflagrarunt, ipſe vero ſceleris author cum magnos ad honores iam perueniſſet, multorum facinorum reus in atrum coniectus eſt carcerem, vbi ſceleſtam vitam inhonorato fine concluſit.

Cum vxor cuiuſdã hæretici (Adriani) bea- 23.
tiſſimæ imaginem Virginis ad quam orare ſo- Franciſ.
lebant Rutheni recte ſentientes, conjeciſſet Bencius in
annal Soc.

1580 & 7. in hiſt. prou. Pol. in ignem, eumq; comprimere non potuit,& duo eius liberi miſerrime deflagrarunt. Neq; enim ſemper conniuet clementiſs. Deus, exci-tat ſe hoc etiam tempore interdum, & vnum aliquem corripit vt multos emendet.

24. Ibid. Cum Ruſſus quidam Schiſmaticus eo die qui aſſumptæ Virgini ſacer eſt ad eruendam argillam exiſſet, maxime ob Kalendarij Gre-goriani contemptum, multum licet diſſua-dente Virgine quadam Catholica, & vatici-nante vltimum illum ei diem ac ſupremum o-pus fore, ruentis ſubito caſu mole telluris in oppreſſus eſt, vt ſuo (incluſus) funere idẽ re-querit alijs neglectæ religionis monumen-tum & inuenerit ipſe dementis propoſitis ſe-pulchrum.

25. Ex litteris P. Melchioris Triuini, Rect. Pragenſis Collegij. In Poloniæ vrbe Zamoſſa quædam matro-na genere quidem nobilis, ſed hæreſis tam perditæ vt Sabbathi diem & ſibi & ſuis vellet eſſe feriatum, contra Dominicam profeſtum & operoſum. Extra vrbem huic erat villa poſſeſſio, ad quam ipſo annuntiantis Angeli die cum proficiſci pararet, domeſtici iter diſ-ſuadent, diei Chriſtianis religioſiſſimi ſan-ctitate propoſita. Mulier offenſa Deiparam, cuius inclytas ferias famuli obieciſſent, ver-bis laceſſere, vnam ex multis dicere, eidem in ſanctitate parem eſſe iactare. igitur ad villam ſuis inuitis egreſſa cum iam parum viæ reſta-ret, equi rhedam trahentes tàm fixis hæſere vestigijs, vt ad progrediendum vis nulla co-

gere

gerit, itaque rhedario nequicquam incitante nihilq; neq; voce & clamore, neque flagello proficiente, improba mulier dum equi perſtant immobiles, exit ex rheda, & tantiſper declinat à via vt naturæ obtemperet, & aluum exoneret. Se purgantem ingens & validus ventus repente deturbat & mulieris faciem in corporis egeſtas ſordes impingit, &, cum os ſacrilegum immundis fecibus inquinaſſet, poſt ingentes editos clamores ſpurcam animam egit dolore trahente (al. ſubita tempeſtas eam adeo tenuit vt relicto curru ventris onus deponere coacta fuerit, quam ventus ita terræ alliſit aliquoties, vt horrendum clamans & impuro ore in ſuis ſordibus ſe volutans infelicem animam efflarit). geſta res tanta anno ſexcenteſimo ſupra milleſimum.

Guilhelmus Baldeſanus in ſtimulis virtutum adoleſcentiæ, li.3.c.21. ait: Narrauit mihi vir religioſus & grauis. ſuperioribus annis in Mediolanenſi prouincia fuiſſe adoleſcentē vt nobilitate ſic faſtu & arrogantia inſignem: Hic cum aliquando in contentionem veniſſet cum alio quodam, inter pugnandum impium aliquid dicit in Matrem Dei. atq; ecce iuſtiſſimus iudex permiſit, vt os illud apertum, contra maieſtatem tantæ Reginæ ipſo temporis articulo aduerſarij telo interciperetur tam ad punctum vibrato ictu vt ipſis linguæ radicibus ſuccisis, & transfixo palato repente conciderit mortuus.



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

27. Lipſius in miraculis D. Virginis Hallenſis cap. 7.

Anno 1580. Cum Oliuerius Tempelius Hallas obſideret, erat inter milites quidam Ioannes Zvvichius, is iactare palam ſe ſuis manibus Hallenſi mulierculæ (Dei parentem intelligebat) naſum abſciſſurum. Sed hæc mox procurat glande plumbea excuſſa ſcurræ illi ipſi naſum auferri. Pœnam habuit, & irriſum inter ipſos commilitones perpetuum meruit, qui identidem hominem ad naſum recipiendum Hallas mittebãt.

28. Ibid.

In eadem expeditione Ioãnes Ryſſelmanus ore tetriore effuderat ſacratam ſe ſtatuam igne ſubiecto publice crematurum. Sed illi impio blaſphemum os ac mentum ictu abſtulit Deus & paulo poſt ipſam vitam.

## *MENDACES ET CORDE DVPLI-ci merentur iram Dei.*

1. LVcas Actor. 5. Ananiæ & Saphiræ eius uxoris pauendum recenſet interitum. Vendiderãt agrum, cuius pretij, quod delaturi erant ad pedes Apoſtolorum doloſa calliditate mentientes partem fraudarunt, inquirit de crimine Petrus, detegit fraudem, & Deus pœnam infligit. Petrus, inquam, primus omnium ac ſolus inter Apoſtolos de perpetrato peccato reos interrogat, quos conuictos mors à Deo dira pœna immiſſa conſequitur, vt experimento omni Eccleſię innoteſceret, illum quem Petrus criminis arguit, Deum eius iudicio annuentem mox experturum vltorem.

Hieron. ep. 8. tom. 1

Maximus ait; eos hanc cómeruiſſe iram, quia quod Deo promiſerant nó reddiderunt, Non ſolum autem quod quæ Deo vouerant non præſtiterunt, eam meruerunt experiri à Deo ſententiam, ſed &, quod, vt ingerit Petrus, mentiti ſunt Spiritui ſancto. Cæterum hanc pœnam non ad ſupplicium ſempiternum ſed ad expiationem peccati, vt ſic ſalui eſſe poſſent in futuro ſæculo, à Domino eſſe illatam docent Orig. Aug. Caſſianus, & Iſidorus.

inter Ambroſ. ſer. 9. apud Aug. de verb. apoſt. ſer. 25 Ath. ſer. in paſs. Greg. regiſtr. lib. 1. ind. 9. ep. 33.

2. Niceph. li. 12. c. 46.

Epiphanium Cypri Epiſcopum aliquando duo quidam in via ipſa mendici obſeruarunt, & cum non pœnitendum aliquid ſe ab eo accepturos exiſtimarent, alter in ſolo ſpiritum continens perinde atque mortuus eſſet jacebat: alter autem veluti familiaris eius lamentans & flens inopiam illam aſſimulabat vt funeris impenſas non haberet, & penuriam tantam cum reprehenſione eius deplorabat. Porro Epiphanius præteriens nihil quidem aliud quàm quod iacenti illi requiem precatus eſt, dixit, Exiguum autem quiddam ad illum funerandum ploranti dedit, illa verba adijciens: Curam huius funeris habe, & tandem flere deſine. nam hic nunc non reſurget. mortem autem quæ communis omnium & ineuitabilis neceſſitate quadam obeunda eſt, animo te forti ferre oportet. Hæc Epiphanius dixit & abijt cœptam perfecturus ambulationem. Cum autem ea in via nemo alius appareret, ille qui ſic ſteterat & plorauerat, jacentem

Mendicus mortuum ſe ſimulat.

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

centem indicio, pedis cócuſſione dato, vt ſo-
ſurgeret, admonuit, ſimulque eum laudaret
qui tàm egregie mortui hominis habitum
tuliſſet, &, age tàndem exurge, inquit, vt
præſentia verſutiæ tuæ hilarius viuendo fr-
ctum percipiamus. vbi autem ille amplius
que dicentem audijt, neque modis omni-
ſignificationem aliquam ſe viuere exhib-
alter curſu celeri Epiſcopum eſt conſe-
tus, eique fraudem, quam inopia coacti co-
menti eſſent indicauit, & iam citra fucum
re flens & lamẽtans vt ſocium ſuum reſuſc-
ret ſupplicauit. Epiphanius autem poſtq
illi ne factum id grauiter ferret dixit; ho-
nem dimiſſum abſoluit, quòd Deus eam r-
retractatam nollet, &c.

Vere moritur, docens illos qui Dei ſacerdotibus ac per hos Deo illudũt ſeipſos fallerę.

§.

Delr. diſq. mag. li. 4. c. 2. q. 7. ſ. 1.

Duo recentiores ſcriptores Germani co-
memorant fuiſſe in Miſnia ruſticũ quend-
hunc domum retuliſſe pecuniam, veſica
incluſam, & ſcamno impoſuiſſe. cumq
abiuiſſet, ſus domeſtica, vt vorax & multi-
rum eſt animal, in veſicam incidit, & vn-
deuorauit. Ruſticus rediens quam non in-
niebat ab vxore depoſcit. negat mulier vi-
ſe ſe. quid agat? adit ſtolidus vetulam pro-
degentem quam pro veratrice habebant.
bet muliercula virum in limine domus re-
ſtere, nec à linea quam creta notarat latum
bire culmum: mox ingreſſa cubiculum d-
monem ſciſcitatur de fure, his verbis ar-
introſpiciens: quidam N. pecuniam ſuam d-

qua

mum reuerſus tali amiſit die, quem ait furatum? reſpondit veterator ex arca (ſuo illo tripode) ſus comedit domeſtica. Tu tamen dicito coniugem eius, vt cũ ſacerdote amaſio eam abliguriret, clam ſuſtuliſſe. Reſpondet illa ruſtico, quod à dæmone (patre mendacij) iuſſa, tacet de ſue. Sed ruſticus cuncta ſciebat. Nam nihil veritus anile interdictum, pedetentim ac leniter illã fuerat ſubſecutus, & ante oſtium cubiculi ſubſtiterat vt quid malefica moliretur, accurate per rimam obſeruaret. Reuerſus domũ vxori & amicis cuncta narrat, ex eorum cõſilio ſuem mactat, crumena potitur. defert triueneficam vt calumniatricem & dæmonis partiariam. magiſtratus portentum flammis expiauit.

## *SS. MISSAE SACRIFICIVM ET SS. Euchariſtiam contemnentes puniuntur.*

I. Veriſs. ac fide dignißimis teſtibus narratum ac litteris mandatum legimus anno Chr. 1574 in autumno in ciuitate Hollandiæ Gouda contigeſſe vt Catholicus quidam ciuis grauiter decũberet, irriſerũt eum quidã Caluiniſticę ſectæ, dictitantes per ludibriũ leuius & facilius eũ defungi poſſe ſi Miſſam prius audiuiſſet. Nec mora, quidã ex ijs Hermañus Aldarcich profert habitum ſacrũ quo Eccleſia Catholica in tremẽdis myſterijs vti cõſueuit, eodemq́ue induitur. Paratur menſa, expediuntur cætera quæ in S. myſterijs vſurpari

Ex libello germ. Coloniç anno 1574. excuſo. Bredenb. li. 1. c. 64.



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

De Batauo per ludibrium Miſſæ ſacrificiũ imitante & dire mulctato.

conſueuerunt, adeſt ſubornatus Diacon[us]
ſubdiaconus. Canitur introitus, & quædam
liæ preces, vſurpantur omnes penè per lu[di-]
brium, cæremoniæ Eccleſiaſticæ. vbi peru[en-]
tum eſt ad canticum agnus Dei, ecce feſti[nus]
accurrit miniſter ſacrificantis, exponit, v[xo-]
rem eius coarctari doloribus partus. ille ſa[cri-]
ficium ſine cauda & ſale offerens, non ſuſtin[u-]
it in eo perſiſtere donec abſolueret, ſed p[ro-]
tinus excuſſo habitu, Miſſaq; miſſa facta,
feſtinus domũ proripuit. inter eundum nu[n-]
tiatur ei vxorem duos gemellos enixam. F[e-]
ſtum hoc nuntium mox vt domum ingre[ſſus]
eſt conuertitur in luctum, vterq; enim fi[li-]
us extinctus eſt. Vxoris deinde cubicul[um]
ingreſſus eam cum morte conflictari & pa[ulo]
poſt defungi videt. ipſe quoq; poſtridie p[e-]
ſte corripitur, cum omnibus qui vel mini[ſte-]
rio, vel cantu, imo etiam ſola præſentia ſac[ri-]
ficio vel tacite vel expreſſe ſuffragati era[nt]
omneſq; eadem lue moriuntur. Catholi[cus]
vero ex infirmitate decumbens conualu[it.]

Gal. 6.

Nolite errare, inquit Apoſtolus, Deus non [ir-]
ridetur.

2.

Conſtantinus Manaſſes in annal. & Michael Gycas part. 4. annal.

Michaelus III. Imp. cognomine temulen-
tus, quem ſcriptores annalium ob mores p[er-]
ditos ac diſſolutiſſimos alterum Phaëtonte[m]
Neronem & Sardanapalum vocant, cum in o-
mne flagitiorum genus ſeſe venundaret, [ad]
hunc tandem velut ſcelerum omnium ap[i-]
cem & coronidem progreſſus eſt, vt poſt qu[am]

tal[...]

tidianos in omni turpitudine profectus etiam aduerſus ſacroſancta myſteria Seraphis ipſis venerabilia vir nequiſſimus debaccharetur. Quippe acrem ſynapi ſuccum in craterem fundens, ſacrum illud formidabile repræſentabat, ludens (vt dici ſolet) in ijs quæ ludum iocumque non admittunt & ridens in minime ridiculis. ita viuentem Michaëlum mater videns, & imperatorem Romanum factum eſſe ludicrum, totis viſceribus & animo commouebatur, eumq; verbis caſtigabat, corrigebat, exhortabatur. Sed (quod prouerbio dicitur) cum mortuo colloquebatur. & admonitiones apud ſurdum cantillabat, ac tandem mater à filio regia expellitur. Baſilius vero poſtea ad imperium prouectus, cum Michaelum ceu vinoſum ac temulentum damnaſſet gladio viſcera eius ad D. Mamantis ædem, vt Glycas commemorat, traiecit. Talem impius ille tremendorum myſteriorum prophanator ſortitus eſt exitum, matris perſecutor, Dei contemptor, imperij diſſipator. à talibus viperis venenum ſuum mutuantur aſpides noſtrorum ſacramentariorum, ſicque fere accidit, vt qui ſunt ſacrilegio pares, morum turpitudine ſit ſimiles.

Bredenb. lib. 1. c. 65.

Funeſtus interitus.

Ioannes Moſcus Euiratus c. 196. prati ſpiritualis: Narrauit, inquit, nobis Gregorius Aphricanæ Prouinciæ Præfectus, &c. in Prouincia, inquit, mea (erat autem Apamienſis ſecundæ Syrorum Prouinciæ ex oppido quod

3. Bredenb. li. 1. c. 68.

dicitur Thorax) ager eſt ab vrbe quaſi
milliatibus diſtás quiGonagus dicitur.in ho
ſiue in eius finibus pueri paſcebant pecora
vt ſolet pueris cõtingere, puerili conſuetu
ne voluerunt ludere. Cumq́; luderent, di
runt ad inuicem, Venite celebremus Miſſa
& offeramus ſacrificium, & communicem
ſicuti ſemper in S. Eccleſia presbyter fa
Quod cum placuiſſet omnibus cóſtituunt
eis vnum in ordine presbyteri, duoſque a
pueros in miniſtrorũ officio, veniuntq́; ad
xum quoddá (erat enim in planitie) ac ſu
ſaxum in morem altaris apponunt panem
vas teſteum cũ vino, aſſiſtuntq́; vnus quid
coram altari; qui fungebatur officio presb
teri, medius; duo vero alij hinc atq; hinc ve
ti miniſtri. Et ille quidem ſanctæ oblatio
verba dicebat, illi vero faſciolis quæ fereb
tur pro flabellis vtentes auram faciebant
Qui vero presbyteri fungebatur officio, id
S. oblationis verba ſciebat, quia conſuetu
fuit in Eccleſia vt pueri in Miſſis ante ſacra
rium aſſiſterent primiq́ue cum clericis com
municarent ſanctis Chriſti Dei noſtri vene
randiſq́ue myſterijs. Quoniam vero quib
dam in locis alta voce conſueuerunt presb
teri S. ſacrificij orationes pronunciare, pu
vt propius adſtantes ſæpius in audiendo di
cerant. Cum igitur omnia ſecundum Eccle
ſticam conſuetudinem feciſſent, priuſqu
panes frangerent ac communicarent, igni

ſitus delapſus quę propoſita erant conſumpſit omnia, ſaxumque totum combuſſit, ita vt nihil omnino neq; ſaxi neq; eorum quæ fuerant ſuperpoſita relinqueretur. Hoc repente factum cum pueri vidiſſent in terram omnes præ timore corruerunt ac diutius ſemiuiui permanſerunt, neq; erumpere vocem, neque de terra ſurgere valentes.

Cum vero non redirent domum hora qua conſueuerant reuerti, ſed pauidi in pauimento iacerent, exierunt parentes eorum, vt viderent, cuius rei gratia conſueto legitimo tempore non reuertiſſent. Egreſſi autem pueros omnes humi iacentes inuenerunt, neque agnoſcentes aliquos neque loqui ſe alloquentibus valentes. Parentes itaq; ſemiviuos eos adſpicientes, vnuſquiſq; filium ſuum aſſumentes, domum retulerunt, videnteſq; pueros in huiuſmodi exceſſu diutius durantes mirabantur nimium, cauſſam ſtuporis eorum omnino ignorantes, nec diſcernere valentes, ſæpiuſque illos per totum diem interrogantes, reſponſum nullum accipere ab eis potuerunt, & quæ illis acciderant ſcire omnino nequiuerunt, donec dies illa & nox tota præterijt. Tunc enim & pueri paulatim in ſeipſos reuerſi cuncta illis retulerunt, quæ geſta fuerant & quæ illis contigerant. aſſumentes vero parentes ſuos & omnes loci ipſius habitatores egreſſi ſunt, & locum eis oſtenderunt in quo mirabiliter iſta contigerant,

veſti-

veſtigia quædam elapſi ignis indicantes. Au-
dientes vero quæ facta fuerant & ipſis indi-
cijs rerum admoniti, in ciuitatem concur-
runt, cunctaq́; Epiſcopo ciuitatis nuncia-
runt. Qui perculſus magnitudine & nouit-
miraculi cum omni clero feſtinus accur-
Videnſq́; pueros & rurſus ab eis quæ gene-
rant audiens & cęleſtis ignis vęſtigia intue-
pueros quidem omnes continuo in mona-
rium immiſit, locum vero monaſterium fe-
latiſſimum, ſupra locum autem ignis Eccle-
am conſtruxit, & ſanctum erexit altare. Di-
bat autem ipſe dominus Gregorius fideli-
mus vir, vnum ſe iſtorum puerorum ad-
xiſſe, eiuſq́; monaſterij, vbi miraculum ac-
derat, monachum ipſum cognouiſſe, &c.

4. Bredenb, li.1.c.70.

In pago quodam, inquit Eraſmus (epi-
Epiſc. Leodienſem ſcripta Baſileę anno 15
cui nomen Vetus vicus, ruſticus quidam in-
uerſorio dū Euchariſtiam irridet, ſubito ex-
nimatus eſt, rem ſic actam teſtes docuerunt.
tuus quidam ruſticus perferebat ſcriniolum
plenum panibus cōſecrandis, quas hoſtias vo-
cant: huic comes erat alter ruſticus, qui quon-
dam fuerat æditŭus. vbi vętum eſt ad vicum
modo dictum, libuit ibi bibere in diuerſorio
petit comes ille ab æditŭo hoſtiam dono, ille
cunctantę accepit, & incepit per ludibrium
conſecrare. Cauponaria videns increpat, ille
nihil, inquit, tua refert, abi, apporta vinum.
vbi redit mulier, videt hominem collapſum

Ruſticus per ludibrium acceptū tamen conatur conſecrare & ob id ſubitanea morte extinguitur.

roga-

rogat quid habeat, reſpondent ibi potantes in alia menſa, forſitan habet illum ſyncopis: mulier adfert acetum, admouent, ſed fruſtra, erat plane mortuus. hæc non eſt fabula.

## INCAVTA CONVERSATIO CVM *Muliere punitur.*

P Ioſephus à Coſta (li. 2. de nouiſs. temporibus c. 11.) Fuit, ait, in Peruenſi regno vir magni pro illo tempore æſtimatus, doctus Theologus ac Theologiæ profeſſor, idemq; Catholicus ac pius diu habitus, ac penè tunc huius orbis miraculum. is familiaritate mulierculæ cuiuſpiam, (quæ ſe edoceri ab angelo magna quædam myſteria jactabat, quæq; extra ſe interdũ rapiebatur aut rapi ſimulabat, velut altera olim Philumene aut Maximilla Montani) ita deuinctus eſt vt illam de ſummis Theologiæ quæſtionibus ſæpe conſuleret, in omnibus pro oraculo haberet, magnis reuelationibus plenam & Deo valde charam prædicaret, ſatis alioqui ſordidam & perexiguo ſenſu præditã, niſi ad inſtruenda mendacia. igitur ſiue à diabolo corriperetur (quod facilius eſt credere) cum eiuſmodi eſtaſim pateretur; ſiue callide eam fabulam ſimularet (quod nonnulli viri prudentes exiſtimarunt) ille Theologus, quod à muliercula magna & mira de ſe audiret, ac multo grandiora futura conciperet, lubenter ei ſe diſcipulum addixit, cuius patrem ſpiritualem agebat. Quid multa?

Viliſſima fæmella virum eruditione & ſapientia clarum decipit.

Delr. diſq. mag. li 4. c. 1. q. 3. ſ. 3.

Credulitas ex ſuperbia occulta ſuiq; amore nata.

multa? eo abductus eſt homo, vt miracula fa-
cere tẽtaret, & fieri ſibi perſuaderet: cum mi-
raculi veſtigium ne tenue quidem exſtar-
Ob hæc, & quod propoſitiones aliquot ab
la Prophetiſſa accepiſſet à ſenſu Catholicę E-
cleſiæ alienas à ſanctiſſimæ inquiſitionis
dicibus, toto hoc regno ſtupẽte, cóprehen-
eſt. Ibi per quinquennium fere auditus,
ratus, examinatus ac tãdem patefactus eſt
mo omnium ſuperbiſſimus ac inſaniſſim
Cum enim angelum ſibi diuinitus datum
quo omnia quę vellet diſceret, ac deinde
ma Dei ipſius familiaritate & immediato
loquio ſe potitum pertinaciſſime diſſere-
in eas nugas delatus eſt, quas, niſi ab hom
prorſus mentis emotæ dici nullo modo
bi quiſquam perſuadeat. Erat vero ille
integro ſenſu quod ad cerebrũ attinet, vt
hi integrior nõ ſit. itaq; & ſerio affirmab
& Regem futurum & Pontif. ſummum, ſed
poſtolica ad hęc regna trãſlata, cõceſſã
ſibi ſanctitatẽ ſuper omnes angelos & cho
cęleſtes atq; Apoſtolos omnes; quin etiã ob
tam ſibi à Deo vnionem hypoſtaticam, ſed
ipſo non eſſe admiſſam. Datum quoq; ſe
demptorem orbis, quo ad efficaciã, vt ipſe lo-
quebatur, quod Chriſtus ſolũ quo ad ſuffici-
tiã fuiſſet. omnem ſtatum eccleſiaſticũ abr-
gandũ, leges vero alias ſe editurum faciles
pertas, ſecundũ quas cęlibatus clericorũ
retur, multitudo vxorũ concederetur, con

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

ſionis neceſſitas excluderetur. Hæc atque alia tanta cõtentione affirmabat vt nos teneret attonitos, quod homo talia ſentiens non inſaniret. Denique diu euolutis geſtis illius, & plus quam centum & decem propoſitionibus hæreticis, aut à ſana doctrina eccleſię alienis cõdẽnatis, iuſſi ſumus, vt habet de more ſacrum illud tribunal, cum homine diſputare ſi forte ad mentem & fidem hominem reuocare poſſemus. Cõuenimus autem cum ipſis iudicibus & Epiſcopo Quitenſi, tres alij. Eo introductus homo ea libertate & facundia perdidiſſimam ſuam cauſſam defendit, vt ego in hodiernum diem etiam ſtupeam eo adigi poſſe mentis humanæ ſuperbiam. Profeſſus eſt doctrinam ſuam non poſſe monſtrari, niſi diuina ſcriptura & miraculis quod eſſet ſuperior omni humana ratione: Scripturæ autem teſtimonijs longè ſe apertius atque efficacius probaſſe quam probauerit Paulus Ieſum Chriſtum fuiſſe verum Meſſiam. Miracula autem ſe perpetraſſe plurima eaque tanta vt Chriſti reſurrectio non fuerit majus. Nam & ſe veriſſime eſſe mortuum, & reſurrexiſſe, atque id euidentiſſime (aiebat ille) eſſe oſtenſum. Scripturas vero proferebat memoriter (cum nullum librum haberet atque ipſo etiam Breuiario ſpoliatus eſſet) ex Prophetis, ex Apocalypſi, ex Pſalmis, ex alijs locis, tot & tam longas, vt vel memoria eſſet admirationi. Eas vero ita ad ſua commenta adaptabat,

ita alligorizabat, vt quiuis vel rideret, vel [illegible]
ret. Poſtremo ſi miraculis rem agere n[illegible]
placeret, ſe libéter ea ſtatim exhibiturú. H[illegible]
ita dicebat homo, vt vel nos inſanos p[illegible]
videretur vel ipſe inſanire. Ná & per reue[illegible]
tionem ſibi innotuiſſe jactabat, Sereniſſ.
an. Auſtriæ bello nauali à Turca eſſe ſ[illegible]
tum, & regnum Hiſpan. à Philippo inuict[illegible]
mo jam pene amiſſum, & concilium R[illegible]
habitum vt de Gregorio deponendo &
ſubrogando ageretur Quæ ideo nobis ſig
caret, vt quoniam erant nobis certis nu
nota ſciremus ei, non niſi diuinitus inno
ſe. Et cum eſſent omnia adeo falſa, vt am
eſſe non poſſent, ab illo tamen aſſereb
vt notiſſima nobis. Deniq; cum nihil pro
ciſſemus per duos dies diſſerendo, & ad
blicum ſpectaculum eſſet cum cæteris,
Hiſpania fieri ſolet, delatus, intuebatur
per in cælum, ignem in inquiſitores, & o
nes graſſaturum cœlitus exſpectans, vt
rat pollicitus diabolus. atqui ignis quidé
nullus ex alto corripuit, illú vero & Reg
& Pontificem, & Redemptorem, & Legi
rem ex imo flamma rapuit atque redé-
git in cineres. Hactenus
P. Ioſephus.

ODI[illegible]

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN